



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 4. Hispani Senatus edictum contra Philippi V. Regis adversarios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

§. IV.

Hispani Senatus edictum contra Philippum V. adversarios.

Sæc. XVIII
A. C. 1709.

Interim in Neapolis Regno cives ob immodica tributa a Pro - Rege imposta ingentes concitarunt tumultus, quos quidem Cæsaris copiæ recens adductæ, necnon Anglo - Batava classis cum valido milite Barcinonem procursum tantisper refrænarunt, populi tamen intemperies haud aliter sedari potuit, quam Caroli Regis mandato, quo incolas novis exactionibus onerari vetitum: Recruduit brevi tumultuantium animositas, postquam Neapolitanus Archiepiscopus sub obtentu, quod plures hæretici, qui Cæsaris stipendia merebantur urbem incohererent, Sacræ Inquisitionis Tribunal invehere molitus erat, ast Grimanus Cardinalis Regis jussu sese huic consilio opposuit, cunctisque ob Religionis diversitatem captis libertatem reddidit, urbisque Magistratum impulit, ut per Deputatos Barcinonem decretos Carolo Regi immotam fidelitatem obsequiumque pollicerentur, vicissim vero Carolus Neapolis Urbem, quam *fidelissimam* appellabat, in suis privilegiis confirmavit, & pro alendo milite subsidia petiit. Minus pacata in

Theatr. Eur.
rop. t. 13,
pag. 264.

Sæc. XVIII. Hispaniis erant Philippi Andegavensis
 A. C. 1709. auspicia: Proceres enim non modo in
 Valentia & Arragonia Regnis, sed &
 Madriti ægerrime ferebant, quod Ur-
 finia Princeps, & Amelotus Francia
 Orator Monarchia summam pro arbi-
 trio suo administrarent: Augebatur in-
 super Philippi timor, eoquod nuntia-
 tum esset, Hagæ Comitum agi, ut
 pro consequendo prospero pacis successu
 Philippus Andegavensis Regnum sce-
 ptrumque dimitteret: Hic igitur causæ
 suæ justitiam Procerum Senatui,
 necnon Ecclesiasticis commendans, ad
 urgendum bellum auxilia, & pecunia-
 rum, militumque subsidia prorsus ne-
 cessaria petiit. Equidem Hispani se
 Regi suo nulla ex parte defuturos spon-
 debant, dummodo ex Gallis potissimi
 eliminarentur, utpote qui tam in Aula,
 quam in exercitu omnia ferme, ea-
 que præcipua obirent munia, necnon
 in fatalem Hispanæ gentis perniciem
 atque ruinam amplissima exercerent
 commercia: Ecclesiastici tamen ex suis
 proventibus decimam partem Regi of-
 ferebant, necnon Proceres & Magna-
 tes die septima Aprilis Philippi Filio
 in Ecclesia Cathedrali fidei juramen-
 tum exsolverunt, polliciti, se eidem
 coronam esse asserturos, si forte ejus Pa-
 ter Regno excedere cogeretur: Cum
 vero

vero quam plurimi in Regno essent, qui Sæc. XVIII.
Carolo adhærentes contra Philippum A. C. 1709.
varia cuderent consilia, hinc Senatus,
quem a *Cruciata* vocant, (*) Madriti
die vigesima secunda Decembris anno
priori sequentem epistolam ad omnes
Arragoniæ & Valentiaë Episcopos trans-
misit, cujus summa hæc est:

„Quamplurimi horum Regnorum
„incolæ contra Regem nostrum tanta
„pertinacia suam infidelitatem non sine
„maximo publicæ tranquillitatis præju-
„dicio propagant, ut elusis omnibus
„clementiæ remediis suam animosita-
„tem, teste ipsa experientia, indies
„magis augeant. Eapropter ratione,
„necessitate & justitia id exposcentibus,
B 3 „ne-

(*) Hic Senatus Anno 1509. in Hispaniis
creatus, res ad disciplinam Ecclesiasticam spe-
ctantes moderandi, animarum saluti invigi-
landi, eaque, quæ pro Regni bono, & po-
puli tranquillitate circa Ecclesiasticorum mi-
nisterium conducere censuerit, præcipiendi
vel prohibendi jus sibi arrogat. Ejusmodi Se-
natum Philippus V. etiam in Neapolis Regno
stabilivit, eumque Senatum *inconfidentia* ap-
pellavit, quem tamen Carolus, tanquam ju-
gum Nationi impositum sub obtentu patriæ
libertatis abrogavit, & postea Grimanus Car-
dinalis jussu Cæsaris & Caroli denuo restituit.

Sæc. XVIII „neglecto hoc remedio prorsus inutili,
A. C. 1709. „Ecclesiasticæ disciplinæ pœnas, cen-
 „suras, aliaque arma spiritualia contra
 „eos, qui Evangelicum præceptum de
 „servanda fidelitate jurata erga suam
 „Majestatem transgrediuntur, arripere
 „cogimur: „ postea Hispaniæ & Fran-
 „ciæ Concilia referuntur, qui excom-
 „municationes, anathemata, & male-
 „dictiones vibrarunt in eos tam Ecclesia-
 „sticos quam laicos, qui juramenta Re-
 „gibus suis præstita violarunt; dein omni
 „tempore seditiosos & rebellionum Au-
 „thores armis spiritualibus coercitos,
 „necnon Præsulibus huic malo remedium
 „opponendi curam a Sacra Sede de-
 „mandatam fuisse narratur, hancque in
 „rem adducitur Breve Apostolicum die
 „undecima Octobris Anno 1520. quo
 „Dartofano Episcopo injunctum, ut Ec-
 „clesiasticos, laicosque, qui violato fi-
 „delitatis juramento antea præstito ar-
 „ma in Carolam V. verterunt: Quoniam
 „vero hujus Senatus Patres Episcopis
 „nihil præcipiendi, sed duntaxat insinuandi
 „jure gaudent, hinc in sua epistola hæc
 „utebantur moderatione: „Annuate
 „igitur Rege vobis hæc *insinuamus*, &
 „Zeli vestri ardorem pro animarum sa-
 „lute, vestrumque affectum erga Regis
 „salutem nobis comprobatum *excitamus*,
 „ut servatis de more servandis in ve-
 „stris

„stris diæcesibus mandata unacum in-
 „terminatis censuris, aliisque Sacris Sæc. XVIII.
 „justisque pœnis promulgantes, cun- A. C. 1709.
 „ctis subditis Ecclesiasticis, sæculari-
 „bus, communitatibus & privatis in-
 „jungatis, quatenus fidelitatem Regi
 „debitam, juratamque observent: eos
 „vero, qui eam violaverint, vel sedi-
 „tionem aut rebellionem contra jura-
 „mentum & fidei homagium, quo hoc
 „ceteraque Regna legitimam Majestatis
 „sue jus in Hispanam Monarchiam
 „agnovere, excitarint, aut foverint,
 „interdicti & anathematis pœna coer-
 „ceant: Vos igitur tanquam fideles sub-
 „ditos *adhortamur*, ut contra ejusmodi
 „rebelles vestram impendatis auctori-
 „tatem: si vero nonnulli in sua pervi-
 „cacia obdurati persistierint, eos tan-
 „quam Ecclesiasticis mandatis refracta-
 „rios, censuris innodatos declaretis:
 „Id si præstiteritis, Pastoralis vestri mu-
 „neris rationibus satisfacietis, pro com-
 „munis boni conservatione procurantes
 „ea, quæ ad horum regnorum tran-
 „quillitatem, & Religionis augmentum
 „conducunt, id vero ipsa conscientia,
 „& summum Regis studium, quod is
 „pro subditorum emolumento tam be-
 „nigne impendit, a Vobis deprecere
 „videtur &c.

Sæc. XVIII. Cum autem Pontifex non modo
 A. C. 1709. Nuntii sui Apostolici exilio, sed & Re-
 giis edictis, quibus omne commercium
 cum Curia Romana interdictum erat,
 jurisdictionem Ecclesiasticam lædi, &
 Pontificiam ejus potestatem in Hispa-
 niæ & Neapolis Regno palam contemni
 arbitraretur, hinc anno sequenti die
 vigesima secunda Februarii Philippum
 V. datis literis paterne hortabatur, ut
 scandala & damna hucusque illata sta-
 tim reparare, & ea, quæ contra liber-
 tatem & jura Ecclesiæ, & contra com-
 modum suorum subditorum ab ejus
 Ministris attentata fuissent, revocare
 & abolere velit: insuper Pontifex
 vicissim eos, quos Rex ad vacantes Ec-
 clesias nominabat, admittere renuit, se
 postea cunctos ad Toletanam, aliasque
 Ecclesias a Rege nominatos, quampri-
 mum ipse satisfecerit, illico admissurum
 spondit Cardinalem vero Pignatellum
 Archiepiscopum Neapolitanum datis
 die decima septima Maij literis plurimum
 commendavit, eo quod manifesta in-
 dignationis Divinæ signa publicis in-
 dictis supplicationibus avertere ac Dei
 iram placare studuerit. Eundem quo-
 que Præsulem, serio monuit, ut tem-
 poris occasione usus palam denuntiet,
 quam enormiter in hoc Regno contra
 Dei Ecclesiam, Sacerdotalem Ordinem,
 Beati

Beati Petri Cathedram, imo adversus Sæc. XVIII.
 ipsum Deum a Regiis Ministris pecca- A. C. 1709.
 tum sit, quamque exigua ratio censu-
 rarum & anathematum a S. Canonibus,
 Generalibus Conciliis, summisque Pon-
 tificibus inflictorum habita fuerit, ac
 demum quam absonum imo & horren-
 dum sit, quod publicis Magistratibus
 atque officiis uti permittantur illi, qui
 multos jam annos Ecclesiasticis censu-
 ris innodati reperiuntur, atque in eis
 fordescunt, nullo resipiscentiæ signo.
 Hæc igitur gravissima scandala, ut
 Archiepiscopus quamprimum e medio
 tolli curaret, eum vehementer horta-
 batur Pontifex.

§. V.

*Rubrum Biretum Cardinali de Tur-
 non Macoi impositum.*

Hoc anno Cardinalis Turnonius jam- *Vite Card.*
 jam Macoi arcte custoditus ex li- *in vit. Card.*
 teris Cardinalis Paluccii die decima se- *Tourn. t. I.*
 ptima Augusti certam notitiam acce- *pag. 145.*
 perat, quod a summo Pontifice Roma- *Relat abregé*
 na Purpura ante biennium decoratus *de la Pers.*
 fuisset; Eadem die Cardinalis ad Ge- *de la Chin*
 neralem Macaonensis Episcopi Vica- *pag. 329.*
 rium denuo, ut vocant, *monitorium* *Fattinell. rel.*
 transmisit, quod tamen ejus famuli ac- *mort. Tourn.*
 ceptare recusantes ad eundem remise- *pag. 13.*
 runt: *P. Bahr. nov.*
Sin. notit.
pag. 99.

B 5

runt: pag. 99.